



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Maii

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

Maij 1.

N A T A L E S

Tribuit illi sedecim annorum silentium, in quo tamen suspicor cum lapsus esse, aut mendosum esse codicem utriusque editionis, eo quo liber obituum Affligenij meminerit tantum septennij

a *Vidi tres editiones antiquas & 4. exemplaria mss. quae omnia habent sexdecim.* G Col.

Die prima M A I I.

1^o. De S. *Euermaro, martyre Ruthensi.*

Ex historia eius ecclesiastica.

IN territorio Tungrensi, villa quæ Ruthis dicitur, sancti **E V E R M A R I** martyris, qui ab iniustis innocenter interemptus est. Huius mors pretiosa crebris miraculis illustratur. Haftenus Martyrologium Fuit autem, ut in ecclesiastico officio legitur, nobilis Friso, qui succrescentibus cum ætate meritorum virtutibus, ad sancta loca peregrinabatur. Cumque Traiectum iret ad sanctum Seruatium, diuertit in territorio Tungrorum, apud Hacconem quendam in silua Harclapia, cum septem suis comitibus. Qui, ut erat tyrannus, beatum virum cum dictis comitibus interfecit. Honoratur verò inter Dei martyres à Ruthensi ecclesia & à vicina Tungrensi, ad quam singulis annis sacrum corpus defertur. Ossa eleuauit circa annum nongentesimum sexagesimum octauum Heraclius, episcopus Leodiensis: quam eleuationem tot subsequuta sunt miracula, quod descripta ingens volumen efficerent.

*Iib. 2. vi.
sa beati
Landoaldi*

Volunt autem villam prædictam, ab eruta silua nomen habere. A Nodgero tamen nominatur, ni fallor, villa *Rother.*

Porro Canonici Ruthenses, per merita martyris, bened-

ne dotati, non resident, sed sibi in diuino officio substituunt matricularios, aut indoctos ruricolos. Quem abusum fortassis melioribus temporibus emendabunt, aut rei indignitate commoti, aut superioris auctoritate pressi.

2^o. De S. Ultano, abbate & confessore.

Ex Beda, Martyrologijs, vita sanctæ Gertrudis, Amati, &c.

IN territorio Fossarum, natalis sancti VLTANI confessoris, fratris Fursei & Foillani. Qui post excessum fratris sui beati Fursei, cum sancto Foillano, sancta adeptus est sanctæ Gertrudis contubernia. Hic, vt Beda scribit, de monasterij probatione diuturna ad eremiticam vitam peruenit. Cui sese adiunxit Fursus frater. Is enim relinquens monasterium, & animarum curam fratri suo Foillano & duobus presbyteris, ad Vltanum abiit, & annum totum cum eo vixit in continentia & orationibus & quotidianis manuum laboribus. Postmodum ad Gallias venit prædicatum verbum fidei, vbi beatæ Gertrudi familiarissimus fuit Quæ etiam per ipsius & S. Foillani manus Deo partem hæreditatis suæ obtulit, villam, vulgo ex situ loci Fossas dictam, vt in eo loco construerent monasterium ad perpetuum peregrinorum hospitium: in quo beatus Vltanus rector resedit, suumque fratrem sanctum Foillanum martyrio coronatum cognouit. Quiescit prope Fossas, quæ sunt oppidum Leodiense, in ecclesia quam ad honorem beatæ Agathæ fundauit, & natalem habet Calendis Maij. Quem tamen Fossense collegium propter bifestum diem Apostolorum transfert in tertium Nonas Maij.

Recensetur etiam fratris sui sancti Fursei successor

Lib. 3. hist.
Angl. c. 19.

Maij 2.

NATALES

cessor in Perona, vbi vsque ad obitum suum fo-
uit sanctum Amatam Senonensem episcopum,
quem Theodoricus rex iniuste in exilium extru-
serat.

An autem ibi quam fossis celebrior sit eius memoria,
& maior reliquiarum portio, ex vtriusque loci collatione
foret cognoscendum.

Die secunda Maij.

1^o. De S. Vualberto, abbate Luxouienfi.

Ex officio monasterij diui Bertini. Cui alia quadam
subiecti.

LVxouij, depositio sancti WALBERTI CON-
fessoris. Qui ortus est nobilibus parentibus
in pago Meldensi, loco qui vocatur *Nant*, qui illi
postea iure hereditatis obrigit. Putauit autem
nobilitati coniungendas esse virtutes, vnde mise-
ricordiae operibus operam dabat, atque beatum
patrem Bertinum in *Sihiu* monasterio sapissi-
me inuisebat, illoque in ijs quae Dei erant fami-
liarissime utebatur: à quo etiam absque benedi-
ctione nunquam recedendum putauit. Contigit
semel eum omiſsa benedictione reuocari, & tum
in via ex equo cadens, periculose membra colli-
ſit. Quae integritati pristinae beatus Bertinus per
sacratum vinum restituit. Quapropter in eius be-
neficij monumentum, magnam suae hereditatis
partem, Arkas videlicet, cum omnibus suis iuri-
bus, beato Bertino in vsus monasterij sui tradidit.
Atque ita paulatim saecularibus rebus se exuens,
vitae & institutioni religiosae, sub beato Bertino
cum filio suo Bertino, quem sanctus pater Bertin-
us de sacro fonte susceperat, se tradidit. Sed
cum

cum adhuc sublimiora meditaretur, Dei nutu, atque sancti Bertini consilio, Luxouiese monasterium petijt, atque seruorum Dei numero associatus, ita virtutibus excelluit, vt beato Eustathio, qui tunc loco præerat, vita defuncto, omnium suffragio in eius locum susceptus sit. In quo regimine, summa cum animi & ingenij fœlicitate versatus est, per quadraginta annos. Nam si quid à suis prædecessoribus imperfectum erat relictum, ad vtramque vitam quod attinet, id accuratissime perfecit, rebus & Deo seruientibus, monasterium augens. Sepultus est autem in ecclesia sancti Martini, ex latere monasterij, in parte Aquilonari, que est constructa à sancto Nicetio. In quo loco multa & varia edidit miracula.

De natali eius legitur ad sanctam Bertinum in die inuentæ Crucis Dominiæ. *Item ipso die, depositio sancti Vualberti, Comitis, & Luxouensis abbatis, qui valde familiaris patri nostro Bertino fuit.* Habuit præterea insignem discipulum, beatum Germanum martyrem, primum abbatem Grandisvalensem, quem excusis criminibus Sebastianus Brandi celebrauit. Præterea Vualdeberto & Boboleno patribus, hoc est abbatibus Luxouij & Bobij, Ionas Scotus dedicauit historias sanctorum, Columbani, Attalæ, & Eustathij.

Addit Iperius, abbas & historiographus Bertinensis monasterij, beatum Vualbertum habuisse fratres, sanctos episcopos Faronem & Cagnoaldum: sororem sanctam Faram, quæ & Burgundofora dicitur. Ipsum etiam successisse beato Eustathio in abbatia: postea sancto Faroni fratri, vt aliqui referunt, in Meldorum episcopatu. Sed hæc alteri competunt sancto Vualberto. Suum enim Bertinenses vt abbatem venerantur. Alterum verò historia sancti Faronis & catalogus episcoporum, beato Faroni non postponit, sed præponit: & vt manifesta confusio agnoscat,

catur, ad beatum Vualbertum abbatem, de sancto Vualberto episcopo scriptum reliquit Ionas: In quo virtutes quantæ extiterint, si vita comes fuerit, prosequi nitentur.

2^o. *Appendix de Bertino, filio S. Vualberti.*

Ex Iperio.

*Capite I.
parce 10.*

Quod ad Bertinum attinet, beatissimi Vualberti, & Regentrudis filium, scribit citatus Iperius eum in *Sibus* professum religiosam vitam sancto sine conclusisse, eiusque corpus cum corpore beati Erkenbodoni, & aliorum Sanctorum, supra maius altare in ecclesia Canonicorum sancti Audomari repositum, venerari. Quod tamen nunc à Canonicis Audomarensibus ignoratur: fortassis tamen ex feretrorum inspectione aliquando patefiet.

3^o. *De sancto Aiberto confes. Crispiniensi.*

Ex Roberto Austrouandensi, & assertionem Crispiniensium.

Eodem die, festum sancti AIBERTI reclusi. Hic in territorij Tornacensis pago, quem *Espeens* vocant, originem duxit, & adhuc puer varia de se futuræ sanctitatis indicia præbuit, clam noctibus ad preces surgens, terram exoscilians, frequenter ecclesiarum limina terens, ieiunia sibi indicens: parum tamen degustans, ut interrogatus verè diceret se comedisse. Iuuenis audiens cantionem de conversione S. Theobaldi, neque carne, neque sanguine, neque lineis panis uti deinceps statuit, sed charitatis fœdere iungitur magnæ sanctitatis & abstinentiæ Iohanni Crispiniensi monacho, qui permissu Raineri, sui abbatis, desertum incolebat locum. Vbi uterque adeo ieiunijs, vigilijs, precibus, & frigore mace-

raban-

rabantur, vt humanam speciem propemodum non referrent. Rainerus autem abbas, ob monasterij libertatem Apostolorum limina visitans, hos comites assumpsit. Qui Romam venerunt, nudis pedibus, vestiti cilicio, parum pecuniæ habentes, ipsa inopia locupletes. Cùmque Urbanus Beneuenti esset, vterque Raineri reditum, eo quod viribus deficerent, in Vallis vmbrosæ monasterio, vbi Canon sancti Benedicti strictè obseruabatur, prætolati sunt. Reuersus autem Aibertus ad suam eremum, non multo post, per visionem monitus, factus est monachus Crispiniensis, deinde præpositus & cellarius. Tandem autem à Lamberto abbate optatam in eremo obtinuit cellulam, manens interim sub potestate abbatibus; in qua viginti quinque annis cum incredibili abstinentia permansit inclusus. Cùm autem acolytus esset, de sapientum consilio à Burchardo Cameracensi episcopo ad sacerdotium promotus est, vt populis ad ipsum venientibus melius posset consulere. & familiarius secretas confessiones recipere. Factus autem presbyter, duas in die celebrabat Missas, pro viuis alteram, alteram pro defunctis. Pecuniam accipere, haud aliter atque serpentinum virus, abhorrebant. Mandato Paschalis Papæ per Oduinum abbatem sancti Gisseni, & Innocentij Papæ, confessiones ad se venientium alacriter audiuit. Venerunt autem non solum illiterati & vulgares, sed archidiaconi, abbates, omnis generis religiosi, & docti, nobiles vtriusque sexus, tantaque plerumque hominum multitudo, vt videretur veluti vrbs ab hostibus obsessa. Plerique qui propius accedebant eo renitente, vestem eius lacerabant, & partes auulsas pro reliquijs absporbant.

tabant. Quantos ille manipulos secum ad Christi tribunal feret? Inter quos erit ioculator ille, cuius olim cantilena ad arctam viam inflammatus fuit. Peractis itaque annis plus minus quinquaginta in monachi habitu, obdormiuit in Domino ipso sacratissimo die Paschæ ad septimum Idus Aprilis paulò antea ab Engelberto Priore sacro oleo unctus, & sacra communione munitus, die tertio sepultus ab abbatibus Crispinij & sancti Amandi eodem in loco, vbi cellula fuerat: vbi eius meritis & precibus, ægris & piè postulantibus, multa præstantur beneficia. Et hæc ex Roberto archidiacono Austrouandiæ accepimus, qui vitam sancti confessoris ad Aluifum episcopum suum, ad quem aliquot exstant diui Bernardi literæ, conscripsit.

Epist. 65.
325. 327.

Die 7. Aprilis.

Crispinientes autem etsi in Aprili notatum habeant, *Obijt dominus Albertus inclusus*; inuocant tamen eum in litanijs suis: & ex auctoritate episcopi Cameracensis, qui oratorium in quo requiescit, quod Capella dicitur, Kalendis Maij dedicauit, festum eius postridie, ex Crispinio venientes, annuè inibi celebrant.

I. 2. de vita
Carthos.
tract. 4.

Cæterum cum animaduertterim quosdam offendisse, quod inter cetera meritorum insignia duas memoretur in die missas, pro viuis vnã, pro defunctis alteram celebrasse; meminerint hac in parte imperitiores, Carthusianos presbyteros singulis noctibus officium Missæ, citra tamen celebrationem, de beata Maria dicere. Cuius rei non est opus Petrum Surorem testem producere, cum id ab eis cognosci possit; quorum ordo passim inter Christianos fulget. Meminerint etiam annotationis *Iacobi Pamelij* de pluribus Missis ad Cypriani

Cypriani epistolam 63. Meminerint denique in combinatis Ecclesijs Pastores quosdam bis celebrare, eo tantum discrimine, quod in priori sacrificio non sumant abluionem.

Die tertia Maij

1^o. Memoria Cruoris Christi, Brugis.

Ex relatu Brugensium, & chronicis Iperij

BRugis memoria Cruoris Christi. Vnde festum inuentionis sanctæ Crucis ibidem nominatur festum Cruoris Christi. Celebrant enim tertia die Maij annuam supplicationem solennem in huius preiosi Sanguinis honorem, qui collectus dicitur quando Ioseph & Nicodemus Christum de cruce deponebant. Est que à Leonio abbate *Iperius ca.* diui Bertini Brugas in ecclesiam sancti Basilij delatus anno 43. *Et Met-* millesimo centesimo quadragesimo octauo, ex mandato *erus anno* Theodorici Alfati Comitis Flandriæ, qui Roberti Solymi *1150. &* auunculi exemplo inductus, quater cum exercitu in Pale- *1335.* stinam delatus, in primis Fulconi socero, bis Balduino, semel Almerico Solymorum regibus, auxilium fortissimè tulit. Huic autem, ex prima profectioe domum redeunti, donatus est ob beneficia tam propria, quàm maiorum, & Sibyllæ religiosissimæ coniugis.

Putant autem aliqui esse tantum cruorem ex latere Domini de sancta imagine, eo quod à beato Athanasio scriptum sit, & in septima Synodo recitatum. Nec aliter existimandum est à veris catholicis, præter id quod scribitur *Galenus* à nobis, quasi ex Carne & Sanguine Christi aliquid possit *Catechesi* in mundo inueniri, nisi illud quod in ara altaris per manus *128. & 2^o.* sacerdotum quotidie spiritualiter efficitur. *Actione 4.*

2 Ita & S. Tho. 3. p. 9. 54, 2, 3.

May 3^o

NATALES

2^o. De obitu *Aufridi* episcopi.

*Ex Becano, Heda, chronicis Traiectensium,
& Leodiensium.*

*In cap. de
episc. 18.*

IN monte sancto obitus Aufridi episcopi, De quo Becanus clericus & historicus Traiectensis scribit. Hic inspirante Deo multa prædia patrimonij sui donauit ad vsum sanctæ Traiectensis ecclesiæ in Comitatu Teisterbantia. Qui dehinc anno millesimo quinto tanquam filius castigatus & dilectus à Deo, suorum oculorum lumen amisit: venerabile collegium ordinis beati Benedicti supra Montem sanctum in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ construxit. In quo sacrae religionis habitum accepit, & ad perennem vitæ suæ terminum deuotissime perdurauit. Sepulcrum autem tanti patris si ex deuotione requirit quispiam de Canonicis maioris ecclesiæ, vel monachis sancti Pauli, sibi forsitan indicabit.

Exstant quoque apud Hedam, Præpositum Arnhemensem litere donationis eius, in quibus sanctæ suæ Traiectensi ecclesiæ donat ad restaurandum ibidem Dei seruitium, infra Comitatum *Rijen* nuncupatum, *Westerloo, Oesterloo, Boloo, Mierbeke, Hornbeke, Buronte*. Quæ loca adhuc sunt in potestate ecclesiæ Traiectensis, & à nobilibus de *Merode* sub censu possidentur, exceptis quibusdam ecclesijs & bonis, quæ nonnulli tyranni de *Wesemale* occuparunt, & simulata pietate sub modica recognitione in monasterium *Tongerloo* transtulerunt.

Huius etiam præsulis intuitu *Fretheboldus*
nobili

nobili profapia progenitus tradidit sancto Martino omnem iuris sui hæreditatem quam habuit infra Comitatum Teisterbantia, ad stipendialem vsum fratrum vtiusque monasterij Curtim tamen in *Heere* solis donauit Pontificalis cathedræ fratribus.

Legitur porrò in Annalibus Leodiensibus Comitatum suum Hoyensem in manibus Othonis secundi Imperatoris resignasse ad vtilitatem Episcopi & ecclesiæ Leodiensis. Qui precibus Theophaniæ coniugis suæ, nedum resignationem approbavit, sed quod reliquum ibidem erat regis ditionis, munificencia Regia Ecclesiæ beatæ Mariæ in Hoyo elargitus est.

Idem de consilio & licentia Notgeri Leodiensis episcopi fundavit cœnobium sanctimonialium in villa *Thurin*, quam tenet Dux Brabantinus ab Episcopo Leodiensi. In quo cœnobio, cum esset in episcopum Traiecti electus, coniugem suam *Hilsmondem* constituit, & filia *Benedicta* prima regimen animarum sub regula sancti *Benedicti* suscepit. Vbi & meruerunt sepeliri.

Sigebertus, qui *Gemblaci* in Brabantia claudit, vocat eum Comitem *Bratuspantium*. Scribit enim ad annum Domini nongentesimum nonagesimum septimum: Clarebat hoc tempore inter Gallos *Ausfridus*, qui cum fuisset Comes *Bratuspantium*, non minus iustitia quam potentia seculari famosus, deposito militiæ cingulo, tonsuratus in clericum, eò prouectus est vt ordinaretur episcopus *Ultraiectensis* ecclesiæ. *Leodiensis* chronographus vocat eum Comitem *Hoyensem* & *Louaniensem*; quidam etiam *Dionantensem*. Vnde intelligitur, quo loco inter *Bratuspan-*

rios, quos nunc Brabantos dicimus, Comes fuerit. Obijt autem plenus virtutibus, & senecta à Deo instar auri mundana scoria emundatus, sub professione sancti Benedicti in Monte sancto, prope oppidum Amersfordiam anno salutis millesimo octauo. Sepultus in ecclesia Traiectensi, ait Heda, in parte meridionali. Cuius conuersatio qualis fuerit, per miracula ad eius sepulcrum ostensa crebrò innotuit.

Die quarta Maij.

De S. Monica, opinio Aroasiensium.

Ex Waltero, Priore Aroasia.

A Pud Ostia Tiberina, natale sanctæ Monica: cuius vita admiranda ex nono confessionis libro sancti Augustini episcopi colligitur. Celebre est autem hoc festum pridie conuersionis filij sui, quem prius mundo postea cælo peperit. Putant verò Aroasienses thesaurum hunc ad se delatum, quod testem habeant eius rei in manuscriptis codicibus Walterum sui loci Priorem, qui sacras reliquias se eò attulisse memorat. Scripti autem hæc est summa. Fulbertus abbas in Arogomantia misit me pro negotijs suis ad curiam domini Alexandri, quando imperium contra eum erat commotum. Cùm autem Ostiæ à Canonicis ad diuam Auream quærerem de sancta Monica, dicebant eam sepultam esse in portu in antiqua Ostia, & à se vocari Latina voce Primam, ab Augustino Græca voce Monicam. Quibus intellectis, sepulcrum quærere, & clam effringere, cogitau. Quod cùm frangerem, tanti odoris suauitate resperhi sumus, ac si omnium pigmentorum

mentorum genera sentiremus. Cùmque cogitarem caput cum minoribus tantum ossibus auferre, adiunxi aliud os, & sic singillatim omnia: quæ per diuersa pericula maris & terræ, tuli in Aroasiã, anno millesimo centesimo sexagesimo secundo, duodecimo Calendas Maij: vbi etiam miraculis sacra pignora claruerunt.

Obijcient fortassis contra hæc Romani: Maphæum Vegium Laudensem, Martini quinti datarium, suis impensis ex Ostia Monicam eò transfuisse, quodque apud Augustinenses in sacello diuæ Monicæ, cuius officium scripsit, sepulturam acceperit. Exstare desuper Apostolicam Martini bullam. Quibus ego, quòd nota & recepta sint, non reluctor: per me tamen licet Aroasiensibus, saluo vinculo pacis, in suo sensu abundare.

Fuit autem Aroasia, quæ est in finibus Atrebatum, viginti octo monasteriorum, quorum abates illuc quotannis conueniebant, primarium, sed bellorum iniuria pæne est destructum.

Sane inter Hybernos Laurentius sanctus Archiepiscopus Dublinensis, clericos sæculares, qui in ecclesia Dublinensi erant instituti Canonici, in regulares Canonicos ordinis Aroasiensis transformauit. Quod ad originem attinet, nominat Robertus, Sigeberti continuator, Cononem Apostolicum legatum inter eos religiosos qui eremiticam vitam ad truncum Berenger primò duxerunt, & Aroasiani ordinis auctores extiterunt. Onuphrius vocat eum domnum Cunonem Cardinalem Prænestinum.

a At Baronius ad Martyrol. die 5. Augusti, M. putat dici Monicam, quasi Monacham, voce per vulgarem usum nonnihil corrupta.

Quinta die Maij.

De sancto Mauronto abbate.

Ex Hucbaldo, qui beatæ Rictrudis & prolium histeriam scripsit, & Chronicis Marcenensium.

DVaci, natalis sancti MAVRONTI abbatis: Cuius suffragijs, si ad sepulcrum eius fuerint delati varijs languoribus ægroti, verè recipiunt præmia sospitatis. Hic sanctus leuita & abbas, filius primogenitus sanctæ Rictrudis, & spiritualis filius in baptismo egregij Christi sacerdotis Richarij, qui eum infantem à præsentissimo mortis periculo præseruauit. Quod ad vigesimum sextum diem Aprilis ex Alcuino est explicatum, vt non sit necesse id ex eodem aut ex Hucbaldo repetere. Cùm autem clarus esset in aula Theodorici regis, hortatu Amandi præfulis, & beatæ Rictrudis matris suæ, deseruit & sæculum, & sponsam, quam vxorem habere deuouerat. Egítque monasticam vitam ^a Hamatici & Marcenis ac postea ecclesiam construxit ad Lisam, in suo prædio, quod Broylus: ^b postmodum verò Meruilla, quasi Mauronti villa dicebatur, nunc verò contractius Meruilla dicitur. Quibus etiam in locis sanctum præsulem Amatam Senonum antistitem, Theodorici regis tyrannide exsulantem non solum fouit, sed & præesse voluit. Eundemq; defunctum, Broyli honorificè tumulauit, & prædiorum suorum per chartarum instrumenta fecit heredem. Ipse denique Maurontus annis fere duodecim post obitum Amati, abbatis curam supra fratres gessit vigilantissimè. Cùm autem anno septingent-

ringentesimo primo Marcenense monasterium
visitaret, ibidem vitam præsentem in meliorem
commutavit, & in eiusdem monasterij crypta se-
pulturam accepit, iuxta puteum, qui sancti Mau-
ronti dicitur. Ex cuius aqua nonnulli sanati le-
guntur, qui à mortalibus & conductitijs medicis
curari non valebat.

Corpus eius, cum corporibus sancti Ionati
& Rictrudis, defossum erat Marcianis, in Nord-
mannorum vastatione. Quando autem inde sit
Duacum ad sancti Amati ecclesiam translatum,
nusquam legitur. Vulgo Morandus dicitur, & na-
talis eius ab omnibus incolis celebratur, cum fe-
stiva ad Urbis muros, quos aliquando protexisse
memoratur, ^a supplicatione.

Cæterum etsi Hucbaldus in vita Rictrudis, quam
cessante Nordmannica persecutione collegit, me-
minerit tantum quatuor eius prolium, Mauronti
& trium virginum, in historia tamen S. Vualeri-
ci, ante eam persecutionem conscripta nomina-
tur Ursinus puer, germanus frater Mauronti no-
bilissimi viri, præcipui inter aulicos proceres, sed
eo nomine vel maximè illustris, quod pro Chri-
sti amore sponsam forma egregia contempsit, om-
nique huius mundi fastu & dignitate reiecta,
Christi Domini vestigia sectabatur. Hic autem
Ursinus ad posteriores corporis partes vlcus pe-
riculosum habens, etsi pater ^c ad fidem ample-
ctendam præduro esset animo, delatus est ad S.
Walericum, & ab eo curatus.

Fuit & alius Maurontus abbas in Glanna, sancti Floren-
tij monasterio, cuius animam Hermelandus ad cælos mi-
grare vidit.

^a Confer 13. Septemb. de S. Amato.

^b Potius,

Maij 7.

NATALES

- b** Potius gallicè dicebatur Bruel pradium quod ibi fuit, & in quo fuit ab eodem S. Mauronto adificatum monasterium. Ipsum autem municipium in quo id pradium & monasterium fuerunt, iam olim dicebatur Méderghem, Menreghem, & deinde contractè Mer-ghem, id est Minor-villa; & gallice Menreville, ac contractè Mer-ville. In itinerario Antonini dicitur Minariacum: & illac è Castello (hodie Casteto) iter Turnacū ibi describitur.
- c** Quidam ponunt factum anno 900. Alij, 985.
- d** Hac supplicatio fit non die 5. Maij, sed Dominica proxima post 16. Iunij; nisi ipsa sit Dominica.
- e** Confer Maij 12. 2°. Vnde dubites siene aliquis error in hac de Vrsino narratione.

Die septima Maij.

De sancto Domitiano, episcopo Leodiensi.

Ex tomis Conciliorum, & historia ecclesie Hoyensis.

IN Hoyo, natalis S. DOMITIANI, episcopi & confessoris. Fuit autem episcopus diœcesis Leodiensis, cū sedes ex Tungris Traiectum erat translata. Vnde in subscriptionibus Aruernensis synodi legitur, *Domitianus in Christi nomine episcopus ecclesie Tungrorum, quod est Traiectum, subscripsi.* Sub Childeberto interfuit Concilio Aurelianensi, quod quintum est in secundo Conciliorum tomo. Legitur quoque in Concilio Turonensi secundo, & Parisiensi primo, *Domitianus peccator, consensi, & subscripsi.* Natales habuit claros ex filia ducis Arduennæ, sed insignis à pueritia vitiorum domitor, morum claritate eos superavit. Vnde in pontificem & pastorem assumptus à clero & plebe Traiectensi, in Taxandria contra paganos: per Gallias

Gallias verò contra hæreses & famem laborauit. In propria parochia, siue diœcesi, multas consecrauit ecclesias: & hospitalia aliquot oppidatim exstrui curauit. Ciuibus Huyensibus infestum draconem exstinxit, & complura contulit beneficia. Apud quos etiam sepultus est, in ecclesia beatæ Mariæ. Ad tumulum autem mox multa consecuta sunt miracula: vnde iubete Carolo Magno, corpus eius, adhuc fragrantissimum de terra leuauit Willegisus, præsul Coloniensis, decimo septimo Calendas Iulij. Post hæc anno millesimo centesimo septuagesimo secundo. Radulphus episcopus corpus transposuit in nouum feretrum, argento & auro decoratum, sexto Idus Iunij, sed tantum prima translatio Huy celebratur.

Octaua die Maij.

1^o. De sancto Wirone episcopo.

*Ex historia, in tomis Suriij edita, monumentis
Ruramondensium, & Pletrascllinorum.*

IN Petri-Monte, depositio sancti WIRONIS, episcopi, & confessoris, cuius reliquiæ habentur in ecclesia Traiectensi. Produxit hunc virum Scotia, fertilis sanctorum virorum insula. Vbi in episcopum electus, compulsus est assentiri, & iuxta insule consuetudinem Romam missus est, summi Pontificis manibus consecrandus. Comes autem illi & itineris, & voti, accessit Plechelmus sacerdos. Quibus per Angliam iter facientibus, adiunctus est diuinitus. Otgerus leuita. Qui Romam peruenientes, Aposto-
lorum

lorum limina lachrymis rigant: altaria precibus & votis cumulant: loca sancta crebro inuisant. Cognita autem Pontifex aduentus causa, Wironem diu reluctantem, episcopum ordinat: eundemque honorem Plechelmo imperit. Quos muneribus auctos, mox in patriam remittit. Inde autem data oportunitate in Gallias abierunt: & a Pipino, duce Francorum, cum is didicisset illorum sanctitate totam eorum patriam illustratam esse, locus a turbis remotus est attributus, qui vulgo Mons-Petri dictus est, in quo oratorium Virginis Mariæ consecratum est: itemque sancti Petri monasterium præclaro opere. Dux autem Pipinus Wironi, ut animæ suæ præfili, vitæque patrono propter eximiam sanctitatem, sua illi peccata confiteri, detractis calceis, est solitus. Sæpius etiam volebat eum interesse communibus consultationibus maiorum. Cum autem laborum propinquaret terminus, & gaudium instaret præmiorum, modica febre correptus, carnis occubitus cum vitæ sempiternæ ortu commutauit. Estque sacrum corpus intra oratorium beatissimæ matris Dei conditum: & ad sepulcrum eius plurima diuinitus conferuntur beneficia. Et hæc est summa historiæ eius, quam sacra verustas ad posterorum notitiam transmisit.

Coluntur autem hi tres sancti, ut patroni, in Ruræmondâ, quæ nonnullas eorum reliquias conseruat, quas ex dicto monte, qui etiam mons Odiliæ dicitur, accepit, quando Canonicorum collegium, inde in dictum oppidum est translatum.

Præcipuam tamen portionem reliquiarum S. Wironis, archiepiscopalis Ecclesia Traiectensis sibi

*Pipinus 2.
qui est Her-
stallus.*

sibi ascribit. Occupato enim à Nordmannis Traiecto, Hungerus antistes, cum paucis Canonicis, anxie Prumiam diffugit. Quorum presentia Lotharius rex motus, contulit ei monasterium montis Odiliae, ut in eo à Danorum incursione liberi diuini nominis cultum celebrarent. In Suitberti historia, à sancto Marchelino conscripta, dicitur episcopus Deirorum.

*Ioann. de
Becca, c. 27.*

20. De beata Yduberga, seu Itta.

Ex vita sancti Modoaldi per Stephanum.

Eodem die, Niuellæ, commemoratio Ydubergæ: quæ etiam Itta dicitur. Hæc fratrem habuit sanctum Modoaldum, episcopum Treuironum, sororem sanctam Seueram, maritum serenissimum Ducem Pinum: filium, Grimoaldum, paternæ dignitatis & pietatis hæredem: filias verò sanctam Gertrudem & Beggham. Post obitum autem pij consortis omnibus procis secundarum nuptiarum spem abstulit, à sancto Amando sacrum velamen suscipiens, & domus propriæ fastigia in ecclesiam commutans. Ob quod factum, cum beata Gertrude filia sua multas pertulit iniurias. Cæterum non minor annis sexaginta, ab obitu mariti anno duodecimo, Deo & sanctis angelis spiritum suum commendans, migravit ad Dominum, & in Niuellensi monasterio, sub beati Petri Apostoli tegmine, honorificè est tumulata. Sed nunc in tumba portabili, quæque tempore Rogationum defertur, honorificentius quiescit, sicut & coniunx Pipinus, & nutrix diuæ Gertrudis. Vidi de ea Niuellæ nouem lectiones historiæ diuæ Gertrudis subiunctas, sed ab omnibus ignorabatur an aliquando in officio ecclesiæ lectæ fuerint: an tantum ad priuatum usum conscriptæ.

*Ex historia
S. Gertrudis.*

Nona

Nona Maij.

*De S. Macario patriarcha, qui
Gandavi obiit.*

Ex Gandensi officio, & historia ad Sigerum scripta.

Gandavi, eleuatio sancti **M A C A R I I**, Antiochenæ sedis archiepiscopi. Qui non infimo in Armenia genere natus, à primis pueritiæ annis traditus est Macario seniori, archiepiscopo & patriarchæ Antiocheno, literis & Christianis moribus imbuendus, vt eodem vteretur præceptore, quæ antea à sacro fonte susceptorem habuerat. Hoc verò vitæ magistro sic profecit, vt eo mortuo communibus suffragijs ecclesiæ Antiochenæ præficeretur. Verùm cùm omnibus sepium pastorem, & benignum patrem, multos annos præstitisset, non sine diuino instinctu, officij administrationem, titulosque dignitatis, Eleutherio, doctrina & vitæ sanctimonia celebri, resignauit: deinde facultatibus suis pauperibus distributis, quatuor cum discipulis, Ioanne, Petro, Dauide, Constantino, terram illam primum in qua Saluator noster humani generis salutem perfecit, deinde alia loca sancta magno labore, nec minori animi deuotione perlustrauit. Nusquam interim non sanctitatis & virtutis suæ signa, nouis semper miraculis editis, relinquens. Postremò per Germaniam superiorem in inferiorem veniens, Machliniæ fidei flamma flammam urbem vastantes exstinxit. Malbodij, Cameraci Tornaci, quis, qualis, & quantus esset, diuinitus innotuit: nouissimè

notiſſimè monaſterium diui Bauonis iuxta Gandauum ingreditur, ibique ab Eremboldo abbate, & toto fratrum cœtu perbenignè excipitur. Quumque maiora indies, tum inter monachos domi, tum in populo ditionis Gandenſis, virtutis ſuæ & meriti apud Deum documenta ederet, mirum quàm gratus & ſuſpiciendus omnibus breui tempore euasit. Undique ad eum populus frequens concurrebat. Nam etiam aqua qua manus eius fuiſſent ablutæ, nequaquam erat virtutis experta, & leuis manuum eius attactus ad depellendos morbos erat efficax: qui verò ſublimiori fidei deuotione præditi erant, ijs ad promerendam ſalutem ſola ſufficiebat episcopalis benedictio. Poſtquam autem annum vnum plus minus eo loci egiſſet, gratis Gandenſem in populum peſtilentia læuiebat, contra quam indictum eſt triduanum ieiunium hominibus & pecoribus: cumque pius Macarius multum ardentè pro populo oraret, commune periculum cum alijs incurrit, fore prædicens, vt poſt ſuum interitum nemo hoc peſtifero incendio moreretur. Tum ille teſtamentum quidem nullum condidit, quia peregrinus & pauper vnde conderet non habebat. Soli tamen matri remiſit partem barbæ ſuæ, nè diu ſuſpenſam torqueret longa filij nunquam redituri memoria. Et vbi emigrandi venit hora, ſuffragia Sanctorum & protectionem Angelicorum ſpirituum multis precibus ambiens, læto & conſtanti animo ad Chriſtum migrans, rebus humanis vale-dixit, ſuæque morte, omnium velut mortem, Deo iam placato, reſtinxit, anno Virginei partus milleſimo duodecimo. Corpus fere-tro impoſitum, tanta contentione ferebatur ad

M cryptam

May 9.

NATALES

cryptam ecclesiæ, vbi ante altare sancti Pauli locum sepulturæ designauerat, vt ad singulos ferè passus noui portitores oneri sanctissimo succedere niterentur. Certatim singuli se ingerebant, vt vel extremas feretri partes tenerent. Si cui id negatum esset, illi vel vestes sacrum corpus deferentium attigisse palma suprema fuit.

Est autem anno millesimo sexagesimo septimo corpus omnino integrum eleuatum à duobus episcopis, Balduino Nouiomagensi (vt habent literæ feretri) & Lietberto Cameracensi, septimo Idus Maij. Celebraturque Gandau celebrius hæc dies eleuationis quàm depositionis, tum quod dies depositionis fere incidat in tempus Quadragesimæ aut Paschæ, tum quod eleuatio magna claruerit gloria, solennitate & miraculis. Intererant huic multi ecclesiastici Prælati, cum Sanctorum suorum corporibus: item Philippus Francorum rex, Balduinus Insulanus Flandresium Comes, Balduinus Haynoënsium Comes, alijque proceres plurimi sæcularis ordinis. Præerat tunc Gandauensi monast. Sigerus, cuius iussu conscripta, exstat historia vitæ & eleuationis.

Tomo secundo Sarisij, Aprilis 10.

Pingitur archi-episcopus, habens in dextra manu cor tribus clauis confixum, quia cum in terra sancta Crucem Christi cordialiter prædicaret contra Iudeos, & Saracenos, illi inter alias iniurias, deiectum in terram, conati sunt instar crucis clauis cõfigere. Sed Christus militi suo non defuit quem etiam ex publico cacere liberauit.

Est autem erronea Macarij nostri imago inter crania & ossa versantis, in Gallicis Lutetiæ anno septuagesimo septimo editis, cum id dicatur de alio Macario eremita, non de nostro. Porro ex vitio fortassis Gandensium, qui aspirationis nota sæpe abutuntur, accidit quod à vulgo Macharius

charius

charius pronuncietur, cum Græcè Macarius, Latine sit Beatus. Objiciet fortassis quispiam, Macarium patriarcham Theopoleos Antiochiæ, ob hæresim in sexta Synodo depositum esse. Sed id accidit ante annum septingentesimum. Quare ad nostrum, qui millesimo anno clauit, trahi non potest: Moveri tamen posset, Anne anno millesimo Antiocheni fuerint schismatici, & extra Romani pontificis obedientiam? Verùm & illud nobis impertinens est, quia citra dubitationem tenendum est beatum Macarium schismaticum non fuisse, aut si de parte schismatis aliquando fuerit, id eum cum episcopatu reliquisse. Quid enim aliud clamant eius peregrinatio, & sanctissima conuersatio, inter Romanæ ecclesiæ filios? Quid tot miracula, quibus eum & viuum, & mortuum, diuina bonitas decorauit.

Die vñdecima Maij.

1^o. De sancto Gengulpho martyre.

Ex historia à Surio edita, Gonsone, & aliunde.

V Arennæ, sancti Gengulphi martyr, qui fuit natione Burgundus, iustituto laicus & regi Pipino militari officio conitinctus. Cuius rei argumento est armatura quæ asseruatur in ecclesia eius nomini & honori dicata. De vita & miraculis, propter crebras barbarorum incursiones, pauca fideli relatione comperta habentur. Quorum vnum est, quod regio ministerio perfunctus, fontem emerit in Campania, quem diuinitus Varennas transtulit, vbi saluberrimè exundat, & per eius sagragia multis adfert sanitatem. Alterum est, quod vxorem se cum vno clerico polluentem reliquerit. Vnde ab impuro clerico vulnus accepit, ex quo, (viatico tamen præmunitus) feliciter martyr migravit, & ab amitis suis Wildetrude & Wildegosa Varennæ est sepultus, in basilica quam

ipse construxerat & dotauerat in honorem sancti Petri. Indignam autem cædem cælestis vindicta est subsecuta. Nam clericus eum fæcibus corporis, viscera etiam sua, in cloacam deposuit. Vidua verò, quæ impurè dixerat, corpus Gengulphi miracula non aliter edere, atque suum anum, inaudito diuinæ animaduersionis exemplo, obscænos crepitus, quoad vixit, edidit frequentissimè. Hæc ex historia diximus: quæ etiam in carmina redegit Rosuidis, abbatisa Gandersheimensis. Huc autem hæc adferenda putauimus, quia reliquiæ huius martyris multis miraculis claruerunt in parochiali & collegiali ecclesia sancti Gengulphi, oppidi Florinensis. Vnde dictæ ecclesiæ fundationem, & patroni miracula, peculiari libro Gonzo, quartus abbas monasterij sancti Ioannis Baptistæ Florinensis descripsit. Et natalem celebrant hac die: aduentum verò reliquiarum, sexta Augusti. Quas tamen dolent sibi anno quinquagesimo quarto, aut incendio, aut direptione perijisse, in bello Henrici regis Galliarum. Præterea legitur in vernaculis Hollandiæ chronicis. Wulframno episcopo Frisijs Christum annunciante S. Gengulphum equitem & Burgundiæ Comitem, auctoritate & mandato regis Pipini, potentia sæculari cooperatum fuisse, eumque ob id toto anno resedisse in *Medenblie*, & Episcopo petente prima iecisse fundamenta Ecclesiæ in *Oostwoude*.

Dist. 2. cap.
27.

Addunt nonnulli Gengulphum, Venantium & Pharaildem ex materno latere fratres esse sanctæ Gudilæ. Quod ab alijs negatur.

2. Me-

2^o. *Memoria tumultus Anabaptistarum.*

Eodem die, Amstelredami, memoria libertatæ ciuitatis à furore anabaptistarum anno 1535, quæ celebratur cum festo die ante meridiem, officio triplici de sancta Trinitate in vtrisque Vesperis, cum Missa solenni, supplicatione totius cleri cum venerabili Eucharistia, vigilijs nouem lectionum, & Missa pro defunctis, qui nouemdecim per anabaptistas occubuerunt.

Die duodecima Maij.

1^o. *De reliquijs S. Pancratij, mart. Romani.*

Ex fide Ultraiectinorum, & monumentis Gandensium, quæ exhibuit D. Petrus Simonis, archiepiscopus ciuitatensis.

Romæ, via Aurelia, sancti Pancratij martyris: qui cum esset annorum quatuordecim, sub Diocletiano martyrium capitis obtruncatione compleuit. Cuius reliquæ habentur Ultraiecti ad sanctum Saluatorem: Ideoque natalis eius celebrari solet à clero & populo dictæ diocesis. Dicuntur etiam Romani caput martyris habere in æde Lateranensi, & corpus in æde sancti Pancratij. Idem corpus Venetæ sorores ecclesiæ S. Zachariæ sibi attribuunt. Non tamen hinc consequitur, Traiectum falso sibi ascribere corpus martyris, eo quod vnius martyris corpus, siue notabiles corporis reliquias tribus in locis esse, non sit absurdum. Imo pluribus in locis sancti Pancratij reliquias haberi constat, ex epistolis a-

Primus in topographia Petrus de Natalibus, Venetus, l. v. c. 156.

Maij 12.

NATALES

Epist. 18.
lib. 3. 50.
lib. 5. 86.
lib. 7.

liquot Gregorij magni. Quamquam & hoc verum fit, tempore Gregorij missum esse pro sanctorum reliquijs quicquid eorum sancta corpora contigerat, saltem ex Episcoporum benedictione.

Sunt etiam anno nongentesimo octogesimo quinto reliquiæ eius ex vrbe ad cœnobium Gandense delatae, per Eremboldum tunc monachum, postea abbarem. De quo nuperrimè inuentum est testimonium penè detritum, quod ad conferuandam antiquitatis dignitatem subijciam.

Andreas abbas Oduino abbati. In nomine Domini. Iste sunt reliquiæ sancti Pancratij martyris, quas transmisit Andreas humilis abbas ab vrbe Roma, ad Gandavi castri cœnobium, non propter pecuniã, sed pro caritate, ac Dei, proximique dilectione, rogante quoque domina Tetta ancilla Dei, ex Anglorum genere orta. Promisit enim nobis ut memoratas reliquias mittere deberet in locum sacrum, ubi magnam venerationem, & cotidie Missarum celebrationem habere deberent, ut [protin et] sancti Pancratij beatissimi martyris accipiatis cum magna reuerentia, ac debito honore, portiones de eius sacratissimo corpore. Id est, vnã portionem, de dorso: alteram, de costa: tertiam de trure: atque recondatis in locum sacrum, ubi cotidie & sine intermissione sacrificijs, canticis, & hymnis honoretur.

Sed & nos pro amore eius inter nos habeamus fraternitatem, ac memores simus alterutrum, siue in orationibus, siue in Missarum celebrationibus.

Vale in Xpo. Amen. Hæc autem sancti Pancratij reliquias iacere in casula sancti Lamberti, constat ex visitatione Cornelij Iansenij, primi Gandensis episcopi.

2^o. De S Rictrude, abbatissa Marcenēsi.

Ex Huchaldo, libris miraculorum Chronicis loci, & as-
sertione Reuerendorum Patrum, Arnoldi Gantois, Præ-
lati, & Caroli Blondecq, Prioris.

MArcianis, depositio sanctæ RICTRVDIS.
Hæc sancta abbatissa, orta est in Guasconia
ex nobilissimis parentibus Arnolde, siue Eike-
nolde, & Lichia. Multumque, dum adulesceret,
in pietate profecit sub sanctissimo præfule Aman-
do. Cùm enim Dagobertus se non ferret repre-
hendi à sancto antistite, ob immoderatum mulie-
rum amorem; eum è regno eiecit. Vnde aliquam-
diu Guasconiam illustravit, vbi beatæ Rictrudi
pietatis Christianæ magister obrigit. Accepit au-
tem maritum ex Francigenis Adalbaldum, virum
nobilitate, virtute, & sapientia clarum: cui multæ
erant possessiones in pagis Flandrensi, Legiensi,
Adarteni, Atrebatensi, Pabulensi, & Austreban-
tensi. Ex hoc felici coniugio, quatuor procreatæ
sunt sanctæ proles, Maurontus letita, & abbas;
Clotsendis, quæ post matrem Marcenis præfuit:
Eusebia, quæ Hamatico præfuit: & Adalsendis,
quæ præmaturè rapta est in nocte Dominicæ nã-
tiuitatis. Tandem laudabilis memoriæ Adalbal-
dus, cùm in Guasconiam iter arriperet, à malig-
nis hominibus est interemptus, sed feliciter eum
in Deo viuere testantur signa, quæ ad eius sacra
iussa non rarò facta sunt. Cùm autem sancta Ri-
ctrudis, coniuge orbata, ad secundas vrgeretur
nuptias, consilio vsa sanctissimi Amandi, regis
maiestati & optimatibus dignum apparauit con-
uiuium; In eo prandio sciscitatur regem, an liceat

Ephes. 5.

sibi in suis adibus agere quod velit? Rex annuit, putans quod conuiuas, vt fieri, solet, sumto poculo ad potandum inuitaret. Illa verò virili animo velum profert, à beato Amando pontifice consecratum, & capiti suo imponit. Quo facto, sibi, ac filiabus monasterium Martianas deligit, beato Amando non solùm consentiente, sed etiam inter regem & ipsam, pacem conciliante. Vbi vsque ad annum ætatis septuagesimum quartum, omnium bonorum operum se exemplum præbuit, & vt filia lucis, semper ambulauit in luce, cuius fructus est in omni bonitate, & iustitia, & veritate. Quiescit Marcianis, siue Marcenis, (vt nunc fere loquimur) in monasterio sanctæ Rictrudis, ad Scarpam, vbi primitus abbas præfuit sanctus Ionatus, beati Amandi discipulus: sed postmodum visum fuit vt ibi sub sancta Rictrude, gloriofa loci fundatrice, secundi sexus fideles aggregarentur. Postquam autem sanctimonialium vita facta est dissolutior, crescente impietate decreuerunt reditus & possessiones, adeo vt Iudith abbatissa cuidam militi, suo nepoti, villas quasdam monasterij, inter quas *Warlayn* iure hæreditario tradiderit. Sed & Nordmannica rabies, peccatis exigentibus, monasterium exussit. In qua destructione deperijt omnis ornatus, in priuilegijs, libris, gestis Sanctorum, & cæteris rebus, ad vsum loci pertinentibus: Sanctorum tamen corporibus sub terra decenter quiescentibus. Hinc Stephanus Leodiensis episcopus, qui beatissimi Lamberti historiam descripsit, sollicitè effecit vt ab Hucbaldo Elnonensi, probatæ conuersationis & eruditionis monacho, gesta sanctæ Rictrudis & prolium, per Nordmannicam depopulationem fere deperdita,

deperdita, denuo conscriberentur. Quod vnico libro fecit, Cui postmodum subiuncti sunt duo libri miraculorum. Ex quibus constat Balduinum Barbatum, Flandriarum Comitem, destructum monasterium reedificasse, & locum tradidisse singularis sapientiæ & virtutis viro Liduino, abbati sancti Vedasti, vt pro dimissis sancti-monialibus, monachos regularis disciplinæ substitueret. Itaque in hunc vsque diem permanet Benedictinorum monasterium, pietate & eruditione, vt & quædam contigua, præstantissimum. Quæ etiam superflua bona in Duacensis Vniuersitatis collegia, aliósque in vsus sanctissimos, expendunt. Ad sepulcrum pendet epitaphium, cuius initium est:

*Hic quondam iacuit, totum veneranda per orbem,
Ritruadis, virtutis ager, pietatis imago.*

Eleuata est cum filiabus in captas, inter eas tamen Clotendis & Adalsendis, non sunt numero Sanctarum virginum ascriptæ. Locus est episcopatus Atrebatensis, in Flandriæ limitibus, inter Duacum & Valencenas. Natalis celebratur Marcensis & alibi. Est enim multarum ecclesiarum patrona. Eleuatio verò septimo Idus Februarij.

Die decima-tertia Maij.

I^o. De sancto Seruatio, ^a patrono

Traiectensium ad Mosam.

*Ex Veterum Martyrologijs, Gregorio Turonensi, Sul-
picio Seuero, Concilio Agrippinensi, Athanasio, &
aliunde.*

IN Traiecto portu, sancti SERVATII, Tun-
grensis ecclesiæ episcopi & confessoris. Qui

M 5

tempore

*Ex Marty-
rologijs Be-
da, Vsuat di,
& Adonis.*

tempore quo Hunni Germaniam vastabant, ne ciuitatis atque ecclesiæ suæ videret excidium, Domini reuelatione commonitus, transit ad vicum Traiectensium: ibique defunctus, atque in medio publici aggeris est sepultus. Ob cuius meritum omnibus demonstrandum, cum tempore hiemis omnia in circuitu nix repleret, nunquam sepulcrum eius operuit, donec industria ciuium basilica supra ipsum ædificata est, à successore eius sancto Monulpho. Qui octauus ab eo inter episcopos Traiectenses recensetur.

*Lib. 2. hi-
stor. cap. 5.*

Fuit autem, vt Gregorius Turonensis episcopus scribit, vir eximie sanctitatis, quia vigilijs ac ieiunijs vacans, crebro lacrymarum imbre perfusus, misericordiam Domini precabatur, ne vnquam Hunorum^b gentem incredulam in Gallias venire permitteret. Sed sentiens per spiritum, pro delictis populi hoc sibi non fuisse concessum, Romam iuit ad beati Petri tumulum, vt adiunctis sibi Apostolicæ virtutis parrocinijs, quæ flagitabat mereretur facilius obtinere. Ibi verò multis diebus sese oratione & maxima inedia affligens, responsum accepit, Deliberatione Domini sanctum esse Hunnos Gallias debere depopulari. Ipsi autem oculos ea mala non visuros. Quo responso suscepto, celeriter redijt ad urbem Tungrorum: valéque dicens clericis ac reliquis ciuibus vrbs, denunciat illis cum fletu quia non visuri essent vltra faciem suam. At illi cum eiulatu magno supplicabant, Ne derelinquas nos pater sancte; ne obliuiscaris nostri Pastor bone. Sed cum cum fletibus reuocare non possent, accepta benedictione, cum osculis redierunt. Hic verò ad Traiectensem urbem accedens, modica pulsatus febre,

Febre, recessit à corpore: ablutusque à fidelibus, in xtra pontem aggeris publici est sepultus.

Contra Euphratam pseudoepiscopum sententiam suam protulit in Concilio Agrippino. Multum tunc temporis inter Galliarum episcopos laudatus, Sulpicius enim Seuerus scribit beatum Seruationem Tungrorum episcopum Arimini minis & terriculis Arianorum non cessisse, sed contra eos fidei professiones edidisse. Sed & Athanasius, magnus ille fidei confessor, præclare eius meminit. Magnentius legatus mittebatur à Constantio ad Constantem fratrem. Is tyrannus Constantem occidit, & Occidentis imperium anno trecentesimo quinquagesimo Augustoduni occupauit. Accusatus est statim Athanasius, quod cum Magnentio egisset de interficiendo Constante. Vnde ad Constantium apologiam scripsit: in qua inter testes innocentiarum suarum primum nominat sanctum Seruarium, episcopum, qui ad suam Mæstatem aliquando à Maxentio pro legato missus fuerat. Natalis beati confessoris celebratur decimo tertio Maij, festo die per totam diocesim; dies translationis recolitur septimo Iunij; festum visionis, quam Romæ habuit de Galliarum excidio, incidit in diem Annuntiationis Domini, sed transponitur in diem Dominicum post octauas Paschæ: denique triumphus sancti Seruatij recolitur Dominica prima Iulij. Pingitur autem cum argentea clauis, quam à B. Petro cæli clauigero, in visione Romæ accepisse memoratur. Neque mirum est tanti episcopi memoriam longè lateque celeberrimam esse, nam, ipse primus fuit Tungrorum proprius episcopus; Præcessores enim potius propriè fuerunt Treuirenses antistites.

Testantur

Tomo primo Conciliorum.

Sulpicius lib. 2. historia sacra.

Athanasius in initio tom. 2.

*Ex gestis
Fontanel-
lensium.*

*Ex Append.
Reginonis.*

*Tab. Scas-
waburg.
anno 1064.*

Testantur etiam manu-scripta Leodiësum Chro-
nica, memorabilem Caroli Martelli victoriam
contra Saracenos (in qua, secundum eos qui par-
cissimè referunt, peremit trecenta septuaginta
quinque millia,) in natali huius confessoris
accidisse; ipsumque Martellum & totam Fran-
ciam beati Seruatij patrocinijs post Deum,
hanc victoriam asseripisse. Porro sanctus con-
fessor innumeris claruit miraculis, etiam extra
Traiectum: nam Wando quem Martellus exu-
lem ad Traiectense sancti Seruatij monaste-
rium, ablegauerat, quando ad Fontanellæ re-
gimen consensu Pipini redijt, secum asportauit
reliquias S. Seruatij, eidemque pretioso confesso-
ri iuxta abbatialem sancti Petri ecclesiam, no-
uam construxit basilicam, in qua repositis reli-
quijs, ob meritum almi confessoris plurimæ vir-
tutes sunt patrata. Memorabile est autem quod
Appendix Reginonis habet. Anno nongentesimo
quadragesimo quarto, dum rex Duisburgi in Ro-
gationibus placitur cum primoribus Lotharien-
sium haberet, illuc Traiectensis clerus deporta-
uit sancti Seruatij corpus, ob multimodas sibi ab
Immone illatas iniurias. Quando enim Ecclesia-
stici à potentioribus opprimebantur, aut ad ora-
tiones confugiebant, & ad alia pietatis opera.
Qua occasione Werherus Comes, qui à rege im-
petrauerat Kirchberg, villam monasterij Hirs-
feldensis, mordaciter iocabatur se monachos te-
pidos ad ieiunia & nudipedalia coëgisse, aut San-
ctorum suorum pignora adferebant, vt ea, velut
de iniuria sibi illata, exostulantia, principes ter-
ræ reuererentur. Hinc Traiectenses Clerici cum
patrono suo beatissimo Seruatio Duisburgi,
(quod

(quod tunc erat Francorum regia, nunc autem
Cliuorum principi paret) apud regem Ludoui-
cum contra Immonem expostulabant. Cui affine
est, quod vacante imperio inter Othonis obitum,
& sancti Henrici successionem, potens quidam
apud Confluentiam, beati Seruatij prædia inua-
ferat: sed Traiectenses mox feretrum sui patroni
eo attulerunt: per quem tanquam fortissimum
bellatorem, rerum suarum sunt potiti Vnde etiam
in S. Beati ecclesia, quæ est Carthusianorum,
quasdam sacras eius reliquias reliquerunt.

*Ex monn-
menti; Car-
thæ, Const.*

Est autem Traiectum beati Seruationis obitu celebre,
magnæ antiquitatis oppidum, quod illic pons Mosæ esset,
vel quod nauibus flumen hoc transfretur, à Romanis ita
appellatum. Cui etiam Mathias Herbinus viæ regię nomen
tribuit. Mediæ ætatis scriptoribus dicitur Traiectus, por-
tus Traiectus, castrum Traiectum. Nostra ætate vsitatus
Traiectum Mosæ, ad differentiam vltioris Traiecti. Ha-
bet autem post Seruatium & alios cælestis aulæ patronos,
protectores & dominos Ducem Brabantię, & Episcopum
Leodij. Beatum autem Seruatium, vt apud Athanasium La-
rinum legitur Seuerus Seruationem vocat: Inter patres sy-
nodi Sardicensis nominatur Sarbatus. In codicibus qui-
busdam Gregorij Turonensis, vitiosè legitur Arauarius, &
apud Auentinum Azauarius.

*In Apolog.
2. Athana-
sij.*

Addunt nonnulli, Christi fuisse consanguineum, & vi-
xisse annos trecentos septuaginta tres. Quod ex Veterum
libris probari non potest: sed potius improbari. Quis enim
credat trecentorum annorum ætatem, idoneam fuisse le-
gationi ad Constanrium, profectio[n]i ad Synodos, & ad li-
mina Apostolorum? Certè si supra vires suas, hæc Dei vir-
tute fecisset, citati scriptores non tacuissent, quod ad Dei
gloriam maxime spectaret. Quare cum clero Traiectensi
hæc velut incerta seponamus.

Maioris momenti est ex Sulpicio obseruare, Seruatium
cum Fegadio, in Ariminensi Concilio fidei professiones
edidisse, in quibus primum damnatus est Arius, totaque
eius perfidia. Caterum Valens, tanquam nostros adiu-
uans, subiecit sententiam, cui inerat occultus dolus. Qua
profes-

*Contra Lu-
ciferianos.*

professione obtenta coacti sunt Seleucientes Patres, exem-
plo Occidentalium, prauam fidem recipere. Multi con-
stantes adempto episcopatu in exilium sunt trusi. Cæterum
Occidentales decepti, beneficio Hilarij reuocati sunt ad
emendationem & pœnitentiam. Quo pertinet illud Hie-
ronymi: Ingemuit totus orbis, & Arianum se esse miratus
est. Si tot & tanti præsules ab hæreticis decepti sunt, inuo-
lucris verborum, & inde pœnituerunt, quàm cæco iudicio
multi sibi hodie persuadent nimium esse rigorem catholice
Ecclesie contra libros & colloquia hæreticorum: sibi ab eis
non esse periculum: aut ob hæc peccata non esse grauem
subeundam pœnitentiam?

*Ad solita-
riam vitam
agentes.**Lib. 2, c. 2.*

Sanè Euphrates episcopus Agrippinæ, quæ est, vt A-
thanasius loquitur, metropolis superioris Gallie, omnino
ad Arianismum defecit, cum antea inter catholicos episco-
pos celebre nomen habuisset. Scribit Athanasius eum à san-
cto Concilio Sardicensi, in legatione missum ad Constans-
tium Imperatorem, vt pro Synodi decretis, Episcopos,
quos eiecerat, in suas sedes reuerti pateretur, Cum autem
ad eum Antiochiam venisset, Ariani conduxerunt publi-
cam meretricem, quam nudam per tenebras in ades ipsius
in ipsis ferijs sanctissimi Paschatis immiserunt. Addit Theo-
doretus, loquente meretrice Euphratem grauer contur-
batum, ac ratum dæmonem esse, qui vocem muliebrem
effingeret, statim Christi Seruatoris auxilium implorasse.
Atque res hæc in iudicio detecta aduersarijs confusio-
nem, catholico episcopo gloriam peperit, sed caducam:
quod eam Arianae perfidia veneno postmodum obscura-
uerit & exstinxerit.

a. Fuit primus proprius Tungrorum episcopus. *Infra,*
14. Septem. in fine.

b. *Intellige de alijs quoque Barbaris, de quibus B.*
Hier. epist. 11.

2^o. De S. Onesimo episcopo Sueffionum.

Ex lectionibus ecclesie Duacensis.

DVaci² ex Sueffione, natalis sancti ONESIMI,
episcopi & confessoris. Hic septimus epif-
copus Sueffionensis & confessor, ab illo Onesimo
Pauli

Pauli discipulo nusquam degener, in suis membris longum pertulit sine ferro martyrium, & sepultus est in ecclesia sancti Georgij extra confinia ciuitatis Sueffonica, in vico sancti Medardi, citra^b Axonam. Ad cuius tumulum multi consecuti sunt remedia sanitatis. Quæ tamen cum gestis aut nimia vetustate sunt consumpta, aut desidia scribentium non habentur. Modò corpus quiescit in diœcesi Atrebatensi, Duaci ad sanctum^c Amatium: Huius^d prædecessor interfuit Concilio Agrippinensi contra Euphratam habito.

Col. 4. ad
Philemonem.

^a Confer Baron. *Annal.* Tomo 9. Anno Christi 841. ubi eius prima translatio describitur, facta per Carolum regem, filium Ludouici Pij.

^b Gallicè dicitur la riuere d'Esne.

^c Eo apportatum circiter annum Domini 896. *Infra*, 16. Octobris 5^o.

^d In Ms. S. Amati vocatur Mercorinus, non Mercurius, vt in Tom. 1. *Concil.*

3^o. De S. Rolende, virgine Gerpiniensi.

Ex historia manu-scripta, & rescripto Domini

Ioannis Brugij Gerpiniensis, Decani

Namurcensis.

GErpinia, natalis sanctæ ROLENDIS virginis. Quæ in Gallijs nobilibus orta natalibus, cum in coniugem expeteretur à regis Scotia filio, fugit, & Coloniam tendens Gerpiniæ Domino vocante migravit. Ad cuius sepulchrum plurimi liberantur, calculo, stranguria, & iliaca passione laborantes. Ob quæ & Obertus episcopus Leodiensis corpus in feretrum eleuauit. Quod singulis annis in festis Pentecostalibus per parochiæ

parochiæ circuitum processionaliter deferunt, multis ex varijs locis conuenientibus. Contigit autem merito huius virginis miraculum, & picturis antiquissimis, & maiorum traditione celebratum, quod præ reliquis huic loco est inferendum, quia in imagine virginis expressum extat. Virgo quædam in medijs syluis grauissimè laborabat: vnde famulus superueniens arborem ascendit, locum dispiciens ad quem posset deduci. Deduxit autem eam ad castellum domini Villariensis *la potterye*, Sic enim vocatur pagus. Vnde virgo morbo inualecente cœcum claudicantem qui in castro agebat Gerpiniam misit ad parochum, vt Sacramenta ecclesiastica illuc deferret. Is autem imperata amplectens, ex Gerpiniensi ecclesia, videns, & bases solidas habens, regressus est. Literas canonizationis, sigillis munitas, putant maiores sese sapius vidisse, sed cum multis alijs in subitanea templi conflagratione perijisse. Vnde eis sola superest historia.

Circa quam difficultas oritur de patre qui nominatur Desiderius rex Galliæ, cum is nusquam reperiat in regum Galliæ catalogo. Sed fortassis Desiderium regem vocat, quod filius fuerit regis, aut à Rege originem traxerit. Talem enim loquendi modum quidam vsurparunt: Aut parentem habuit Desiderium regem Longobardiæ, quem Carolus magnus in Italia superauit, & cum vxore & filia Leodium in exsilium relegauit. Longobardos enim siue Lombardos Gallos esse Cisalpinos ex Leandri Italia & aliunde cognoscitur. Est autem Gerpinia inter Tudinum & Fossas Leodiensis territorij vrbes, Namurcensis tamen ditionis, & ex nupera inuolutione, eiusdem dicecesis. In mediæ ætatis scriptis recensetur in pago Lomacensi.

a Anno Domini 1550.

Decima

Decima quinta Maij.

1^o. De S. Dympna virgine & mar. Gela.

*Ex historia Petri Cameracensis, Gelensium & Hyberno-
rum instructione.*

IN Brabantia, villa quæ Gela nuncupatur, san-
ctæ **DYMPNÆ** virginis & martyris. Quæ
propter fidem & amorem castitatis decollata est
à proprio genitore, rege pagano. Cum enim pa-
ter, regina defuncta, nouam quæreret eiusdem
pulchritudinis vxorem, monetur à militibus vt
filiam suam accipiat, matri suæ adeo consimilem,
vt in eius imagine mortua reuiuiscere videatur.
Quod detestabile facinus cum pater vi perficere
vellet, illa quasi obtemperatura quadraginta die-
rum inducias petijt, & interim consultore Gere-
berno, eximiæ sanctitatis & doctrinæ sacerdote,
qui ipsam pridem occultè baptizauerat, & ei ac
matri Eucharistiæ sacramentum porrigere con-
sueuerat, cum ipso & patris ioculatore, eiusque
coniuge, per mare peruenit ad Castrum quod
Antuerpia dicitur. Inde autem ad villam perre-
xerunt, cui nomen *Gela* est antiquitus impositum,
quæ tunc temporis raro inhabitatore excoleba-
tur, quia erant in ea non nisi quindecim domus,
eæque nemorum densitate fere per sex milliaria
circumseptæ. Inuenerunt autem in ea vnicam
sancti Martini ecclesiam, in qua Gerebernus Mis-
sas celebrabat, & in *Zammale* non longe ab ea ec-
clesia habitaculum sibi construxerunt, in quo tri-
bus mentibus, ieiunijs & orationibus vacantes,
vitam quodammodo Angelicam ducebant. Inte-
rea rex per fugam turbatus, naui Antuerpiam ve-

N

nit,

nit, & inde quaquaerſum legatos mittit. Quĩdam autem peruenerunt ad villam rurenſem *Weſterloo*, & cum hoſpiti expenſas ſoluerent, ait ille, ſe nummos habere conſimiles, quorum precium prorfus ignoraret. Et interrogatus vnde eos haberet, reſpondit, à virgine de Hibernia, quę prope in deſerto habitat cum venerando ſene ſacerdote, quę pro emendis alimentis id genus nummos mittit. Hac occasione pater ad eam iter arripuit. Quam primùm, libidinis igne accenſus, ſua uiter affatus eſt. Sed pro ea reſpondens Gerebernus, patrem de abominatione redarguit: filiam nẽ vnquam conſentiret eſt adhortatus. Tum verò omnes in eum, tanquam fugę authorem & filię euerſorem irruerunt: & exagitatus iniurijs, vitę curſum capitis amputatione compleuit. Rex autem iterum acrius inſtabat vt filia illi acquieſceret. Sed cum Chriſtum vnicum amatorem ſe offendere nolle, aliãque multa conſtanter reſponderet, pater furore incenſus, iuſſit eam decollari, & cum nullus tam crudele facinus exſequeretur, nẽ regis poſtea fortassis dolituri iram incurreret, ipſemet regalis nobilitatis & clementię oblitus, gladio quo fuerat accinctus, ſacrum caput virginis amputauit. Et relictã ſunt corpora beſtijs terrę deuoranda. Quę poſtea à quibuſdam iuxta habitantibus in ſpecu ſunt condita. Poſt multa verò annorum curricula pro ſtupenda ſignorum exhibitione, clerus & populus eorum corpora quaſi uerunt, eaque in duobus ſarcophagis niue candidioribus reppererunt. Quod opus Angelorum, vt ſanctorum caſtitas ſignificaretur, eſſe cognouerunt: cum non eſſent in regione illa niſi petrę fulgine nigriores,

2^o. De sancto Gereberno presbyt. & mart.

Ex historia S. Dymphnae, & rescripto doctissimi Theologi Gerardi Busae, Canonici & ecclesiastici Xanthenensis.

Eodem die Gelæ martyrium GEREBERNI, eximia sanctitatis & doctrinæ sacerdotis. Cuius corpus Sonsbecam est ablatum.

Quia autem vita & passio eius historiæ diuæ Dymphnae est coniuncta, hoc loco explicandum restat non multum discrepare Petrum Cameracensem, qui ad Xanthenes corpus ablatum esse scribit. Constat enim ex multis Xanthenis ecclesiæ monumentis, quod Sonsbeca, non ciuitas, sed pagus esse soleat, de eorum parochia: sed à ducentis annis, agente Theodorico Comite Cliuensi propriam obtinuit parochialem ecclesiam. Quanto autem cum errore inibi beatus Gerebernus commutatus sit in Bernardum Abbatem, dicam breuiter. Dicta ciuitas confinium est Geldræ, & per continua Geldrorum & Cliuensium bella, partim spoliatione, partim conflagratione, sacra ossa cum reliquis omnibus perdidit. Inter hæc pastores sæpe mutati sunt per incommoda bellorum, & tenuitatem prouentuum. Hinc nihil Sonsbecæ habetur de beati viri historia. Imo cum vulgo diceretur, *Sint Gebern*, aut contractius *Bern*, imperitè mutatus est in Bernardum: & in locum ambustæ suæ imaginis posita est imago beati abbatis Bernardi, cum multa tamen vetularum contradictione, quæ adhuc confitentur veterem imaginem non habuisse habitum abbatis, sed sacerdotis sine superpellicio. Idem error est in annulis quibus impressum est nomen beati Bernardi. Qui annuli à maioribus magni æstimabantur, bonæque fide putabant se talibus annulis à chiragra & febribus seruari: vendebanturque hac conditione, vt quisque moriturus sancto anulum suum legaret, vt videlicet ad suum principium rediens, iterum fluere. In libris ecclesiæ vt nihil de beato Gereberno, ita nihil de sancto Bernardo habetur, nisi quod intra paucos annos scriptum videtur. Nulla etiam in ciuitate memoria celebratur beati Bernardi, aut Gereberni (vt dicendum esse demonstrauimus) præterquam in die deportationis, qui solet concursu populorum frequentissimus esse, die Dominica post sanctæ Margarætæ festum.

May 17.

NATALES

Decima-septima Maij.

De B. Cælestini PP. reliquijs in Rothnaco.

Ex rescripto domini Laurentij Bachelaer, Rothnacensis.

IN Rothnaco, beati Cælestini ² papæ, cuius reliquiæ habentur in Canonicorû ecclesia à Ludouico rege fundata. Natale in Romano Martyrologio notatur die sexta Aprilis. Sed Rothnacensis clerus festiuitatem celebrat in die translatarum reliquiarum.

Fuit & alius sanctus Cælestinus Rothnaci. Refert enim Meierus, Rothnaci obiisse beatum Cælestinum Scotum, abbatem Blandiniensem, siue Gandensem ad sanctum Petrum. Quem Carolus Martellus extruserat in exilium, eo quod diceretur esse patrium Ramanfredi. Sed huius nulla est in Rothnacensi ecclesia memoria.

Meierus

1710 765.

à Merito dubites an alterius, si conferas Prolegomena Pamelij ad Cyprianum, vbi dicitur, Vita Cælestini gladio fuerat data fini.

Die decima-octaua Maij.

De sancto Quiniberto confessore.

Ex rescripto domini Iacobi de Barlaymont, Benedictini Maricolenfis.

APud Quercerû, sancti QVINIBERTI cōfessoris Qui est sanctus Maricolenfis; locus enim quietis fuit Prioratus Maricolenfiû, in quo etiam habitasse putatur. De eo scriptû accepit ex Maricolis. De beato Quiniberto omnia nobis incerta sunt præter nudû nomen nostris insertû Calendarijs. sub solēnitate festi medij Capsula lignea, quo ossa eius ac reliquias contineri credunt indigenæ, apud vicum quem vulgo dicimus *Serlesches*, nostro etiam sæculo crebris miraculis sanitatum refulsit,

VT NON-

ut nonnulli etiamnum superstites auctores sunt.
Sed fulcra, sustentacula, & vehicula sanatorum,
quæ ad memoriam obtentorum relictæ erant,
cum ipso templo, Francorum scelere, fœdo in-
cendio perierunt.

Die decima-nona Maij.

1^o. De S. Hadulpho, episcopo Cameracensi.
*Ex Chronicis Cameracensium, & rescripto R. domini
Iacobi Markais.*

A Trebati, Nobiliaco monasterio, depositio
sancti H A D V L P H I, episcopi & confes-
soris. Qui Attæ primo abbati abbas in dicto mo-
nasterio sue cessit, anno septingentesimo decimo,
& rexit eam ecclesiam annis nouemdecim. An-
no verò septingentesimo decimo septimo, ac-
clamatione populi, fauore cleri, & iussu Hilpe-
rici regis, assumptus est ad episcopatum Came-
racensem, siue Atrebatensem, vndecimus à bea-
to Vedasto. Voluit tamen episcopus à fratribus
suis tantum abbas vocari. Post gloriosam autem
conuersationem sepultus est Atrebaty, siue No-
biliacy, in ecclesia sancti Petri: vbi cum eius ima-
gine hæc exstant carmina;

Hic iacuit sanctus speculum virtutis Hadulphus,

Qui vigil Atrebatum rexit ad astra chorum.

Dulcis aue: nostris veniam pater obijce culpis,

Grataq; dilecto dona repende gregi.

Cæterum dicta sancti Petri ecclesia sita est intra
septem monasterij. Estque ex ea corpus sanctum
translatum ad digniorem ecclesiam, quæ est sancti
Vedasti, Natalem habet die decima nona Maij ex

Maij 19.

NATALES

institutione Engrammi episcopi. Is enim cum sanctitas beati Hadulphi, multis mirisque portentis ostenderetur, sacrum corpus leuauit die 31. Augusti, & verbo facto ad populum, solennia beati Hadulphi notificauit.

2^o. De S. Dunstani exilio, apud Ganden.

Ex historia à Surio edita.

Ciuitate Doroberna, sancti DVNSTANI Archiepiscopi: qui famosum monasterium Glasconiense fabricauit, multa que alia fundauit monasteria. Ad cuius sarcophagum crebro manifestatur qualis nunc meriti sit in calis. Cum autem abbas esset in monasterio quod Glasconia construxit, ex precepto summi Pontificis Eduinum regem suum, cum duabus impudicè & pertinaciter uiuentem, asperè increpauit. Ob quod factum monasterium est direptum, & ipse in exilium proscripius Nauem autem ascendens in Flandriam appulit, ubi à principe terræ magni habitus est, & valdè dilectus Rogauitque eum, ut Gandau conuersaretur, utpote loco qui præcipua religiose in sua ditione eo tempore præditus erat. Ibi ergo Dunstanus in omni sanctitate degens, omnibus factus est charus, & admirabilis. Permanfit autem in hoc exilio donec ob impietatem expulso Eduino, frater eius Edgarus in regem assumeretur, qui mox missis in Flandriam uiris, beatum uirum cum ingenti honore patriæ restituit. Natalem habet & historiam, die decima nona mensis Maij.

Etiam autem historiam uerisimile mihi est esse non Osberni, sed paulo posterioris, Guilhelmi Malmesburienfis.

riensis. Osberni enim aliud initium, tum præfationis, tum libri, annotatum vidi à Petro Crabbio, ex Bibliothecis Angliæ, *Vniuersis*, &c. *Osbernis*, item libri, *Regnante*, &c. *Adelstano*. Quanquam parum referat, cum auctor dicat se alio elocutionis genere ipsa gesta commemorare.

Fuit autem in oppido Glasconia monasterium diui Dunstani, ordinis sancti Benedicti, totius Angliæ facile opulentiissimum, & monachis frequentissimum, sed ab Henrico octavo, est dissolutum, Richardo *Vusing* abbate, cum duobus monachis, patibulo affixis.

3^o. De obitu Fastredi abbatis.

*Ex libro de initio Ordinis Cisterciensium,
& informatione Cambrenensium.*

Parisij, obitus domini Fastredi, qui primum fuit abbas Camberonæ, deinde Claræ-vallis, & postremò Cistercij.

Hic recensetur inter beatos Ordinis Cisterciensis: in fine Missalis, & alibi. De quo hoc loco facienda est mentio. Fuit enim de *Gauinnier*, iuxta Camberonam, nobilis genere, sed morum elegantia ac sanctitate nobilior. Fuit præterea primus abbas de *Camberon*. Quem locum cum omni suo allodio vel iure, Anselmus de Perona vir nobilis, thesaurarius ecclesiæ Sognegiensis, Deo & beato Bernardo abbati Clareuallensi donauerat, anno millesimo centesimo quadragesimo octauo. Præclare & veraciter de hoc abbate scripsit monachus Claræ-vallensis, eius per aliquot annos minister, fuisse pium, castum, humilem, abstinentem, mansuetum, atque modestum. Puritatem animi, & singularem mansuetudinem in exteriori homine, velut in proprio sigillo, diuinitus impressa reluxisse. His virtutibus ornatum Claræ-vallenses, elegisse successorem secundum, sancti Bernardi, proximum verò B. Roberti Brugensis. Regimen autem tam insignis cœnobij virum Dei declinasse, latentem apud Carthusianos in Valle S. Petri, donec cœlesti visione, vt acquiesceret, vgeretur. Postea cum Cisterciensis ecclesia, mater Ordinis, pastore careret, communi consilio in totius Ordinis pacem esse postulatum. Sed non multo post, Parisij, cum

*In libro de
initio Or-
dini Cister-
ciensi. ca-
pitulo 28.*

May 21. 001

NATALIALES

Ordinis negotia tractaret sancto sine, qui nonnullis antea erat reuelatus, qui euisse, pramunitum tamen ab ipso Alexandro papa extrema vactione, & Apostolica benedictione. Cuius mortem multum deplaxit Ludouicus rex, cum vtraque curia, Romana, & sua. Tandem autem sacrum eius corpus, Cistercium est delatum.

Vigesima prima Maij.

De sancta Itisberga virgine.

Ex historia eius manu-scripta, & literis Petri
Waloncapellij, Prioris Winocensis.

al. Idaber-
ga.

A Pud Ariam, natalis sanctæ * ITISBERGÆ virginis. Hæc filia Pipini regis, & soror beati Caroli magni, in Picardia, (seu potius, vt nunc loquimur, in Artesia) nuptijs posthabitis, magnis virtutibus claruit. Vnde in monte, qui ab eius sepultura S. Itisbergæ dicitur, conditum est templum, ad diui Petri & ipsius virginis honorem. In quo febrium aliorumque morborum remedia, meritis virginis obtenta sunt Reliquiæ eius anno millesimo ducentesimo vigesimo primo, die vigesimo Iunij, translatae sunt Bergas sancti Winoci, quæ ibidem anno quinquagesimo octauo perierunt, per postrema Francorum bella. Natalis est festum duplex magnum in Ariensi ecclesia.

Die vigesima-tertia Maij.

De sancto Guiberto fundatore Gemblaci.

Ex Sigeberto & archidiacono Viridunensi, & monumentis Gemblaci, quæ exhibuerunt Reuerendus Prælat-
tus Lambertus Hancart, & Subprior Ludouicus Son-
bechus.

IN Gemblaco monasterio, natale S. GVI-
BERTI fundatoris, confessoris præclari in
mira-

miraculis. Hic inclitus confessor, militiæ secularis cingulo deposito, castrum suum *Gemmelaus* siue Gemblacum, cum omnibus appendentibus, alijsque multis, obtulit Deo, & Apostolorum principi beato Petro, sanctoque Exuperio martyri, ad construendum in eorum honorem monasterium. Inde mox accusatus est apud Othonem imperatorem, quod regalem fiscum in sortem ecclesiastici iuris transfudisset. Sed beati Guiberti donationem pius rex ratam voluit, absolvens monasterium ab omni telonio, & tributo, in omnibus imperij locis: permittens etiam mercatum, percussuram monetæ & macheriam. Decretum est etiam ut abbas non constituatur ibi de alio monasterio, sed ipsi serui Dei, secundum sancti Benedicti regulam, ex sua propria congregatione abbatem eligant. Concessit etiam potestatem faciendi castellum seu oppidum, ut sanctorum pignora, & Deo famulantes, à falsis Christianis & paganis protegerentur. Neque pro loci defensione, sibi aut successoribus aliquod voluit dari seruitium, præter munia orationum. Hungari tunc temporis ut fera tempestas, depopulatis Italia & Germania, aggressi sunt Lotharingiam, & Lobium usque excurrerunt. Quibus beatus Guibertus, paratus bibere calicem Domini, occurrit, euntibus & redeuntibus Gemblacum, cinctus gladio verbi Dei, & quosdam abiurata idololatria transcripsit in novum nomen Christianæ militiæ. Cùm autem videret sibi non paratum à Deo primum calicem passionis, animum appulit ad bibendum secundum calicem confessionis, ideoque Erluino cooperante, cum pluribus pijs locis confraternitatem inijt pacis & dilectionis, per totam penè Lotharingiam

Capite 64.

ringiam & Franciam. Cùm verò in *Gemmelauis* primum abbatem haberet Erluinum, venerabilem virum, & doctorem, ipse ad Gorziam commigravit iuxta Metas, vbi erat aluearium monachorum & summus sanctæ religionis feruor. Ibi vir Dei consummatus in virtutum gratia, ad patres suos appositus est, decimo Calendas Iunij, anno nonagesimo sexagesimo secundo, & inuitis Gorzicibus, Gemblacum relatus. Mox ab obitu, neglecta Imperiali confirmatione, posthabito Apostolicæ censuræ anathemate, bona monasterij inuaserunt, Heribrandus Bratuspantius, sancti fundatoris sororius, Robertus Comes Namurcensis, eorumque exemplo plures alij. Nec res illa contra potentes inuales ab Othone est sopita, nisi cum dimidia, & ampliori iactura monasterij.

Iacuit autē Guibertus tacito nomine per annos centum triginta septem, vix paucis fidelibus per chartas veteres recordantibus vmbra eius sanctitatis. Anno autē millesimo nonagesimo nono fulsit nominis eius memoria, noua signorum gratia. Quæ ita in eo mirabilis fuit per duodecim annos, ante sancti eleuationē, vt longè lateque comparauerit amorem, & honorē. Vnde multi pia mouebantur indignatione, quod venerationis cultu careret. Inter quos erat Sigebertus, primus inter Gemblacenses, atate & conuersatione, scientia & religione: qui ad sepulcrum eius locum compunctionis elegerat: vbi etiam, dum esset custos ecclesiæ, visiones accepit de eius futura exaltatione. Ex huiusmodi itaque visionum & miraculorum ostensione Sigebertus accepta occasione explendi sui desiderij, habita voluntate & benedictione

ctione Lihardi abbatis, desuper legationem suscepit ad Othbertum Leodiensem episcopum. Is autem per Henricum Archidiaconum causam detulit ad Fredericum Colonensem suum archiepiscopum. Qui in generali synodo petitioni libens annuit. Vnde episcopus, nono Kalendarum Octobrium, anno millesimo centesimo decimo, elevatione sancti corporis fecit, presentibus abbatibus, archidiaconis, & alijs vtriusque sexus innumerabilibus, quos ad tantam festiuitatem inuitauerat autoritas domini episcopi, & religiositas tractandæ rei. Estque idem dies tanto signorum priuilegio comendatus, vt non humana temeritate, sed diuina ordinatione credatur fuisse dispositus.

Hæc autem secundaria festiuitas annuè proclamatur sequentibus verbis: In Gemblaco, eleuatio corporis sancti patris nostri Guiberri, confessoris Christi, in miraculis præclari. Scribit præterea Richardus à Wassebourg, archidiaconus Vir-

*Est Gallicè
in quarto
impressu,
& in folio.*

dunensis, libro tertio antiquitatum Gallix Belgicæ, Gisilbertum Lotharingæ gubernatorem, de fauore Caroli regis præsumentem, in vacantem Leodiensem sedem intrusisse per simoniam, Hilduinum quendam. Nam magnam ei summam auri & argenti donauerat. Quod cum clero & populo loci grauer displiceret, vir sanctus Vuibertus, ex antiqua nobilitate regum Austrasie originem ducens, omni virtutum genere & vitæ sanctitate clarus, qui ex patrimonio proprio in Franconia monasterium Gemmelocense fundarat, cum apud reges Francie & Germanie summa poleret auctoritate, precibus suis apud serenissimum Carolum Simplicem obtinuit Hilduinum dicto episcopatu priuari: Et quidem Carolus instanter exigebat

exigebat vt beatus Wibertus onus supradicti episcopatus subiret, sed vir sanctus monastica religioni addictissimus, id multo instantius reuult. Vnde in locum detrusi, Romę auctoritate Pontificis est institutus vir sanctus Richarius, filius Comitis Hannoniensis. Fuit autem Gemblacum castrum, quod sanctus Guibertus in monasterium conuertit, antiquitus annumeratum Lotharingę, siue Austrasię & Franconię, in Comitatu Darnuensi. Sed nostro tempore est verustissimum Brabantię monasterium, situm in diocesi Namurcensi, intra Gemblacum oppidum. Cüm enim propter disciplinam obedientię regularis, & pręsentia merita beati Guiberti confessoris, multi habitacula figerent apud dictum monasterium, locus ita accreuit, vt Arnulphus, nonus abbas, eum mœnibus cinxerit. Fuit etiam prædium quoddam monasterij, quod nunc Mons sancti Guiberti dicitur, locus incultus, sed munitioni aptus. Quem locum nē inuasor occuparet, & muniret, consulit Godefridus, Comes Louaniensis, Dux Lothariensis, qui aduocatus erat Gemblacensium, ab Imperatore constitutus, & ab Episcopo Leodiensi confirmatus, vt feretrum sancti Guiberti eo adduceretur, ad reficiendum destructam ecclesiam. Tantam autem sanitatum gratiam Deus per eum largitus est, vt insignis ex oblationibus constructa sit ecclesia, circa quam multi ædes struxerunt. Vnde Godefridus nullum voluit loci esse aduocatum præter se, nec aliud ius legale aut consuetudinarium ibi obseruari, quàm in Gemblaco. Godefridus autem tertius eius nominis & honoris, confirmauit etiam burgenibus dicti montis nundinale forum.

*Ex litteris
vtriusque
Godefridi.*

Habet

Habet præterea Gemblacum præter beatum Guibertum fundatorem suum, ex Gallijs corpus sancti Exuperij martyris: ex Roma corpus sancti Marij: ex Britannia, reliquias sancti Machuti episcopi, de quibus suis in locis quædam in hoc libro notantur. Ex Græcia autem, digitum beati Nicolai, cum alijs reliquijs. Quod testatur epistola Ioannis archiepiscopi Neopatrensis, qui eas donauit. Sic enim scribit: *Ioannes Dei gratia Neopatrensis archiepiscopus, Wilhelmo abbati & Conuentui Gemblacensi, & vniuersis Christi fidelibus, salutem in auctore salutis. Vniuersitati Vestra notum facimus, quod nos charitatis instinctu, partim etiam natalis patriæ (quæ mouet omnes) dulcedine ducti, munus pretiosum omni ueneratione dignum, videlicet de ligno Domini, de sepulcro Domini, de ossibus beatorum Georgij & Antonij; & digitum pijsimi & gloriosi confessoris sancti Nicolai, quem Christianissimus Imperator Constantinopolitanus ad prælium contra inimicos suos præliaturus, antea se deferri fecit, fiduciam habens cum effectu, quod meritis eiusdem Confessoris triumphator existeret; & pannum sericum deauratum, ecclesie Gemblacensi, de qua diximus originem, per manus dilecti nostri Wilhelmi, eiusdem cœnobij abbatis, deferendum, dignum duximus destinare. Omnibus autem qui memoratam ecclesiam, ob uenerationem harum reliquiarum uisitaauerint, & de facultatibus suis aliquid impenderint, omnium benefactorum ecclesie Neopatrensis & suffragiorum ipsius de misericordia Dei confisi, concedimus communionem. Fraternitatem etiam uestram diligentius hortamur, quatenus hoc sanctuarium Dei, pia deuotione ac celebri ueneratione, sicut decet, amplectamini, Deo modis omnibus laudes referentes, quod partes uestras tanto dignatus sit honore uisitare. Hoc solum in remunerationem tanti muneris, à fratribus ecclesie Gemblacensis*

Maij 23.

*Gemblacensis reperendum duximus, quod nos orationum
suarum apud Deum patrem constituent participes. Da-
tum Romæ, in terminatione concilij Lateranensis, Calen-
dis Decembris, feliciter. Habitum est hoc generale
Concilium sub Innocentio tertio, anno supra
millesimum, ducentesimo decimo quinto. Cui
cum domino Ioanne archiepiscopo Neopatremsi,
intererat supradictus Wilhelmus decimus quintus
Abbas Gemblacensis.*

*Cæterum non ad sanctum Vuibertum, fundatorem
Gemblacensis monasterij, sed ad Vuibertum decimum ter-
tium ibidem abbatem transmisit sancta Hildegardis solu-
tionem triginta octo quæstionum, quas per eum Villari-
enses miserant.*

Die vigesima-quinta Maij.

De sancta Adilia, sorore sancti Bauonis.

*observatio ex bibliotheca domini Vigilij,
Præpositi Gandauensis.*

Otrauo Calendas Iunij, ADILIAE sororis
sancti Bauonis.

*Hæc verba observaui in bibliotheca præposituræ sancti
Bauonis Gandensis, dum antiqua inspicerem Missalia: Qui-
bus lectis, non dubitavi quin beati Bauonis ecclesia, olim
sanctæ Adiliæ memoriam in divino officio celebraverit.
Cæterum quo loco quiescat, & quæ eius fuerit vita, nus-
quam reperire potui. Nisi sit sancta Adilia Orpiensis: quam
dubitationem, ex quarundam ecclesiarum Martyrologijs
conceptam, ad vltimum diem Iunij de sancta Adilia actu-
tus proponam.*

Die

Die vigesima sexta Maij.

De sancto Simetrio martyre.

*Ex historia, quam nobis à Malmundariensibus a-
culis R. P. Ioannes Harlemius, Societatis Iesu.*

Romæ, sanctorum martyrum SIMETRII presbyteri & aliorum viginti duorum. Cùm enim in titulo, quem Pius papa construxerat apud Praxedem latitaret, & diuina mysteria celebraret, Antoninus Augustus eos absque vlla interrogatione gladio puniri præcepit in eodem titulo. Quorum corpora Praxedis collegit, & sepeliuit septimo Calendas Iunij. Ladernacensis ecclesiæ historia addit eum in infantia à beato Materno esse resuscitatum, eaque occasione Albanam eius matrem, cum prole, fidei sacramenta suscepisse: eique nomen dedisse Simetrium sextum Cornitem de Salmis, apud Tungros, quem paulo ante sanctus Maternus baptizauerat. Cæterum sanctus Babolenus, qui Remaclo successit, corpus martyris è Roma Stabuletum attulit, & in primaria monasterij hæreditate, villa de *Lierneur*, siue Ladernaco, congruo honore collocauit. Fuitque decretum, vt prædicta villa se filiam Stabulensis ecclesiæ recognosceret sub censu vnus^{us} esterlini, ex qualibet domo persoluendi: & vt sarcophagum martyris annuè nona die Maij, Stabuletum cum hymnis & processione in iudicium filialis subiectionis deferrent.

Fit autem mentio loci & martyris in libro secundo miraculorum Remacli, qui Nodgeri est, Leodiensis episcopi. *Fiscus*, inquit, *Ledernaus nostro monasterio*

Maij. 27.

NATALES

monasterio addictus est: In eo ecclesia est S. Simetrii, & aliorum, virtutibus illustris.

a Est vigesima pars uncia.

Vigesima septima Maij.

1^o. De sancto Ragnulpho martyre.

Ex monumentis Atrebatum, & informatione R. Domini Ioannis Saraceni, Prioris Vedastensis.

* al. pago
Atrebatensi

IN* territorio Adartensi, sancti RAGNULPHI martyris. Qui pater (vt fertur) sancti Hadulphi episcopi Atrebatensis, ab Vfuardo notatur sexto Calendis Iunij. Quibus Calendis Atrebatense sancti Vedasti monasterium, in quo requiescit, memoriam eius celebrat duodecim lectionibus, sed de communi sumtis. Constat autem eum passum esse in *Telu*, villa sancti Vedasti, quae Latine dicitur *Telodium*. Caeterum in diocesis Atrebatensis Breviario, ponitur quinto Iduum Nouembris. E quibus colligo ab Vfuardo notatum esse diem natalitium: diocesim tamen natalem celebrare in die eleuati corporis. Nam id alias saepe vsu venit. Ad miracula vero huius martyris referri video, quod ad Gerardum primum Chronographus Cameracensis scripsit. *Hunaldo defuncto, Hadulphus eligitur, quem asserunt quidam filium fuisse sancti Ragnulphi martyris. De quo, (beatum Ragnulphum intelligunt) hi qui nostris superfuere temporibus fideles, testati sunt multa ad sepulcrum eius vidisse miracula.*

a Confer Maij 12, 2^o. paulo post initium.

b Chronicon Cameracense lib. 1. c. 113. *Telodium*.

c Baldericus Nouiom & Tornac. episc. lib. 1. c. 34.

2. De

2^o. *De cæde Frederici episcopi Leodiensis.*

*Ex historia per Leodiensem clerum edita, quam accepi
ex Alnensi bibliotheca.*

Eodem die cædes Frederici episcopi Leodiensis & martyris. Cuius historiam scripserunt omnibus sanctæ catholicæ ecclesiæ filijs, fideles Manni scripta Alna vetusto caractere. qui sunt Leodij Ex quorum scripto constat fuisse filium Alberti Namurcensis Comitum, & Leodiensis ecclesiæ Præpositum: mortuo autem Otberto, canonicè electum esse in episcopum. Alexandrum tamen thesaurarium, duarum ecclesiarum Præpositum electo præualuisse, virum consilio & sapientia clarum, sed ambitione obscurum. Fautores hic habuit Godefridum Ducem Louaniensem, Vigerum aduocatum Hasbania, & alios Lotharingæ principes. Præterea ab Henrico quinto, qui Absolonis exemplo, patre propulso, regnum sibi vsurparat, sacerdotium Leodiense comparasse fertur septem millibus librarum argenti. Hunc, qui se pro episcopo habebat, Agrippinus archiepiscopus excommunicauit, Fredericum verò electum Domini in Synodo Rhemis habita, Romanus pontifex Calixtus sacro chrismate perunxit. Cùm autem gregem Domini in sanctitate & iustitia pasceret, Alexandri fautores multis pressuris inuictam eius patientiam exercebant: sed & secundo administrationis anno venenatum poculum viro Dei porrexerunt, quo vnus oculorum excussus fuit, & alter extinctus, cumque lentè mors subsequeretur, renouarunt pestiferum poculum. Vnde sexto Calendas Iunij cælo animam reddidit. Principes autem illos, etsi sceleris

Maij 27.

NATALES

leris sui veniam à beato præfule habuerint, diuina ultio diu superesse non permisit. Contra verò per martyrem suum Dominus multa miracula operatus est, à Leodiensibus descripta, quibus declarauit cuius sanctitatis & dignitatis vir Dei fuerit.

*Placentius
in 27. epif-
copo.*

*Anonymus
cap. 59.*

Vnde miror Dodechinum & Anonymum chronographum Leodiensem, & Ioannem Placentium, dicere tantum eum obijisse anno administrationis secundo. Sed illi in historicos, ni fallor, inciderunt, qui vel metu, vel violentia Alexandrinorum pressi, gloriosum martyrium obscurare voluerunt. Interim chronographus ille sepultum scribit in ecclesia sancti Lamberti, & quod post mortem dicatur multis miraculis claruisse.

Secunda die I V N I I.

1^o. De sancto Adalgiso presbytero.

*Ex libro priore vita, quem legi in Bechlchem apud Io-
uanium, & historia S. Eloquij.*

IN basilica sancti Michaëlis, in Therascia sylua, natalis sancti ADALGISI, confessoris gloriosi. Fuit is presbyter Hibernus, & fratrem habuit sanctum Ettonem, qui Lætijs ad Helpram quiescit: ipse verò, vt in historia Ettonis posteritati est prodictum, inter Isaram & Helpram Christum prædicabat. Quare hoc loco est commemorandus. In suæ historiae libro priore describitur, beati Fursei exemplo cum alijs collegis Corbeiam venisse, & inde diuinitus distributis locis, Laudunum cum Corbicano viro glorioso, & seruis eius Rodaldo & Careberto, qui angelico indicio cellulam construxerunt iuxta montem S. Iuliani, super